



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Speculum Non Fallax

Segneri, Paolo  
Pinamonti, Giovanni Pietro

Coloniæ, 1706

**VD18 12375713-001**

An revocata sit nescimus:

[urn:nbn:de:hbz:466:1-50799](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-50799)

contemptus, qui non est ipsa damnatio, vel infernus, reatu tuo minor est; dic igitur tu quoque, verecundiâ & rubore coopertus: Peccavi, & verè deliqui, & ut eram dignus, non recepi, Job. 33. 27.

## PUNCTUM II.

*Nescis, an sit revocata.*

II. Considera, te securum non esse, quòd illa sententia sit revocata. S. Theresiæ ostendit aliquando Deus locum in inferno, in quem incauta tandem se præcipitasset, si certis consortiis & affectionibus ex se non malis, sed periculosis adherere perrexisset. Igitur tibi quoque, idque majori titulo assignatum crede locum in tenebris illis horrendis, & in consortio infelicium illorum, qui sine suo æternum privati sunt; & quis scit, an non infausta illa statio etiamnum te exspectet? quis scit, an illa maledictionis

tionis sententia sit deleta? quis scit, an nomen tuum ex libro mortis erasum sit? *Nescit homo, utrum amore, an odio dignus sit, Eccles. 9. 1.* Et cum hoc dubio audes caput superbè elevare, erigere supercilium, & contemnere socios, quorum causa apud divinum tribunal meliori fortè loco est, quàm tua? *Ego vir videns paupertatem meam in virga indignationis ejus. Thren. 3. 1.* Non est aptior modus cognoscendi inopiam tuam, quàm intueri debitum apud divinam justitiam contractum. Si servi pro *nihilo* computantur in Lege: *Servi pro nullis habentur*: quantò magis meretur pro *nihilo* haberi servus damnatus ad poenam, eamque æternam, de qua incertum est, an sit ei condonata.

